



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 26. Landrasius communi Britonum consilio ad supplicium vocatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

rici VII. nomine Elisabetham Eduardi ^{Sæcul. XV.}
 IV. Filiam natu majorem matrimonio si- ^{A.C. 1485.}
 bi copulabat, ut Ebroacensis & Lan-
 castriensis domus jura in unum coale-
 scerent; prius autem Comes in prælii lo-
 co eadem corona, quæ Richardo olim
 imponebatur, atque inter ejusdem sarcin-
 as reperta fuerat, coronatus est, postea
 solitis solemnibus Londini inaugurandus.
 Initum est hoc prælium omnino decre-
 torium die vigesima secunda Augusti,
 paucisque post diebus Comes eo glorio-
 sior Londinum ingressus, quo felicius
 hunc victoriæ triumphum nonnisi centum
 circiter suorum dispendio redemit.

§. XXVI.

*Landasius communi Britonum con-
 silio ad supplicium vocatus.*

Tanta Henrici VII. felicitas certe Landasii ^{Argentre}
 consilia penitus evertisset, si adhuc ^{hist Britann.}
 dum in vivis egisset. Ast Richemundio ^{lib. 12.}
 Comite in Angliam navigante, Britones
 jamjam de hujus Viri perfidia vindictam
 sumebant; cum enim illorum exercitus,
 quem Landasius Duci rebellem esse de-
 clarabat, Augenii castra metaretur, Ducis
 copiæ Comitibus partibus accedebant; quip-
 pe probe compertum habebant, hoc bellum
 nonnisi instigante Landasii ambitione ac-
 census fuisse, e re autem utriusque par-
 tis

Sæcul. XV.
A.C. 1485

tis esse hujus Viri excidium, quapropter Britones ceteris ita uniti ad Nannetense castrum, ubi Britanniae Dux cum Landasio cliente suo agebat, recta contendunt, illisque Nannetenses, cum non nisi proditoris hujus poenam deposci satis persuasi essent, urbis portas ultro aperiant, ac unacum suis popularibus Landasium judicio sisti, sique criminum ipsi objectorum reus esset, absque omni veniæ spe condemnari postulant; Insuper Comitem de Fuxo, ejusdemque nominis Cardinalem ad Britannum ablegant, a quo tamen minime auditi sunt; nihilominus urgente seditionis civilis metu Landasius hostium suorum arbitrio relictus, Francisco Christiano, qui Ducis Cancellarius erat, tradebatur.

§. XXVII.

Landasius judicium sententia apud Nannetes laqueo suspensus.

Quamvis Britanniae Dux Cancellario suo disertis verbis comminatus esset, quod in ipsius caput fatalis Ministri sui eventus recideret, Britones tamen Landasium, quem in sua potestate habebant, in judicium adducunt, postulantes, ut quaestione habita ejusdem causa secundum juris præscripta decideretur. Ergo accusatus tormentis subjicitur,